annos exegistis: a quibus capta belli premia Sici-
liam: ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certami-
ne is uobis illisque animus: qui uictoribus et uictis esse
solet: Nec nunc illi: quia audent: sed quia necesse
est pugnaturi sunt: nisi creditis: qui exercitu inco-
lumi pugnam detrectauere eos duabus partibus
peditum equitumque in transitu alpium amissis: qui plu-
res poene perierint: quam supersint plus spei nac-
tos esse. At enim pauci quidem sunt: sed ingen-
tes animis corporibusque: quorum robora: ac uires
sustinere uis ulla uix possit. effigies immo umbre
hominum: fame: frigore: illuuie: squalore enecti: con-
tusi ac debilitati inter saxa rupesque: Ad hec perusti
artus niue rigentes nerui: menbra torrida
gelu: quassata fractaque arma: claudi ac debiles
equi: cum hoc equite: cum hoc pedite pugnaturi estis:
reliquias extremas hostium non hostes habetis.
Ac nihil magis uereor: ne ante quam uos cum hoste pu-
gnaueritis: hanibalem alpes uicisse uideant: sed ita
forsitan decuit cum federum ruptore duce ac populo
deos ipsos sine ulla humana ope committere ac
profligare bellum: nos autem: qui secundum deos uio-
lati sumus: commissum ac profligatum conficere.
Non uereor: ne quis me hoc uestri adhortandi
causa magnifice loqui existimet: ipsum aliter